



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Exorcismorum

Eynatten, Maximilien de

Antverpiae, 1626

Instrvctio VIII. De variis technis dæmonum prænoscendis & præcauendis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40734

Tandem cogitabit, vtrum fortè Deus non cupiat alterius Exorcistæ virtutem notificari; proinde aliquando in huiusmodi casu expediet afflictum remittere ad alium pietate & potestate exorcizandi præditum; vel similes in adiutorium sibi assumet. Quòd si, postquam omnia tentauerit, res ex voto non succedat, committet in patientia occulto iudicio Dei, recepturus nihilominus mercedem post hanc vitam.

INSTRUCTIO VIII.

*De variis technis demonum prænoscendis
& præcauendis.*

EXORCISTA magna cum diligentia & prudentia aduertet & obseruabit omnes & singulas insidias quibus dæmones vtuntur, quando per preces & exorcismos Ecclesiæ vrgentur. Impediet ne ipsum vel circumstantes in peccatum aliquod pertrahant, quod semper conantur: ne ipsorum deuotionem & attentionem per nugas & leuia & obscœna verba, vel per nimios clamores aliaque similia impediunt vel perturbent. Proinde quamprimùm suppresserit illos Exorcista in virtute Dei, & illis imperabit in nomine I E S V confidenter, vt se contineant & conticescant.

Non-

Nonnumquam, cum feminæ exorcizantur, fingunt se egrè ferre quòd Sacerdos tangat vultum earum, & se simili attractu cruciari simulant, vt tanto sæpiùs Sacerdotem inducant ad tangendum, & hac ratione Sacerdoti vel exorcizandæ ingerant voluptuosa incitamenta. Sit itaq; Exorcista oculis manibusq; & omnibus motibus pudicissimus & cautus, memor spiritus immundos non tam tactum quàm ipsum signum S. Crucis pertimescere. Quòd si aliquando necessariò tangenda sit energumena, illud faciet breuiter & perfunctoriè, mente eleuata ad Deum.

Statim ac se malignus spiritus manifesta-uerit in corpore oblesso, interrogabit illum Exorcista breuiter & categoricè quæ necessariò erunt interroganda, illumq; coget ad respondendum, nec facilè ceder, etiamsi dæmonium reluctetur, sed iteratis adiurationibus & exorcismis instabit, donec extorserit, Deo fauente, responsum. In his obseruabit ea, quæ latius dicta sunt superiùs in 4. Instructione.

Cauebit dictis dæmonis statim adhibere fidem, qui pater mendacij in Scripturis dicitur; sed prudenter perpendet omnia & singula, inuocando gratiam Spiritus sancti pro vera discretionem spirituum.

C

Quan-

Quantum in ipso erit, Exorcista nullam dabit requiem dæmoni inter exorcizandum, sed continuè illum vexabit & cruciabit orationibus, lectionibus, & exorcismis; multò minùs cum eodem aliquid extranei tractabit confabulando, vel aliquid aliud ad rem nihil faciens agendo, ne ei interim det tempus reassumendi vires. Considerabit se habere negotium cum capitali & infestissimo hoste.

INSTRVCTIO IX.

De iis quæ debet Exorcista obseruare circa & post egressum demonum è corporibus obsessis.

QUANDO Exorcista aduertet dæmonem esse deuictum, & iam eiiciendum Dei potentia & iussu è corpore obsesso, præcipiet eidem ne egrediendo lædat corpus creatum à Deo, sed illud sanum, liberum, ac expeditum ad seruiendum & glorificandum Deo relinquat. Coget dæmonem dare aliquod signū recessus sui cum tota sua damnata societate. Solent enim aliquando aliqui eorum remanere in corpore, & latere aliquo tempore absque vlla vexatione, vt sic decipiant ministrum Dei; proinde Exorcista non erit securus, nisi liquidè illi constet afflictum planè liberatum. Vnde non statim